VETUS TESTAMENTUM
Entstehungsort unbestimmt, 2. Hälfte 15. Jh.
Seite 9r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35461
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

corum. Qui egrediebat et red-
ire nesciebat, donec siccarentur aque
super terram. Emisit quoque columbam post
eum, ut videret si iam cessasset aqua
super terram, que cum non inuenisset,
ubi requiesceret pes eius reuersa
ad eum in archam. Aque enim in uniuerso
erant super uniuersam terram. Extento
itaque manu, et apprehendens eam
intulit in archam. Expectauit autem
ultra dies septem alios rursum di-
misit columbam de archa. At
illa venit ad eum ad uesperam, por-
tans ramum oliue virentibus foliis
in ore suo. Intellexit ergo noe quod
cessasset aque super terram. Expec-
tauitque nichilominus septem diebus
alios, et emisit columbam, que non
est reuersa ad eum. Igitur sexcen-
tesimo primo anno, primo mense, pri-
ma die mensis, imminute sunt
aque super terram. Et aperiens noe
tectum arce aspexit, viditque quod
exsiccata esset superficies terre.
Mense itaque septimo, et vigesima
die mensis arefacta est terra.
Locutus autem dominus ad noe di-
cens. Egredere de archa tu et
uxor tua, filii tui, et uxores fi-
liorum tuorum tecum. Cuncta animan-
tia que sunt apud te, ex omni
carne, tam in volatilibus, quam in bes-
tiis, et omnibus reptilibus, que
reptant super terram, educ tecum,
et ingredimini super terram. Crescite
et multiplicamini super eam. Egres-
sus est ergo noe, et uxor eius
et filii eius, et uxores filiorum eius
cum eo. Sed et omnia animalia et rep-
tilia, que reptant super terram, secun-
dum genus suum de archa egressa
sunt. Edificauit autem noe altare
domino, et tollens de cunctis pecori-
bus et uolucribus mundis obtulit
holocaustum super altare. Odoratus e-
dominus odorem suauitatis, et ait ad
eum. Nequaquam ultra maledicam terre
propter homines, quia sensus et cogitatio
humani cordis ad malum prona sunt
ab adolescentia sua. Non igitur per-
cutiam ultra omnem animam uiuentem sicut feci
cuncta diebus terre. Sementis et
messis, frigus et estus, estas
et hiems, nox et dies non re-
quiescent. Capitulum xcum.

Benedixitque deus noe et
filiis eius, et dixit ad eos.
Crescite et multiplicamini et re-
plete terram, et timor vestri ac ter-
ror sit super cuncta animalia terre
et super omnes volucres celi cum
omnibus, que mouentur in terra. Omnes
pisces maris manui vestre traditi
sunt, et omne quod mouetur et nutri-
ri potest erit vobis in cibum. Quasi olera
virentia tradidi vobis, oia excep-
to quod carnem cum sanguine non
comedetis. Sanguinem enim animarum
vestrarum requiram de manu cuncta-
rum bestiarum, et de manu hominis, de
manu viri et fratris eius requiram
animam hominis. Quicumque effuderit
sanguinem, effundet sanguis illi-
us. Ad imaginem quippe dei factus
est homo. Vos autem crescite et
multiplicamini et ingredimini super
terram, et implete eam. Hec quoque
dixit deus ad noe, et ad filios eius
cum eo. Ecce ego statuam pactum
meum vobiscum, et cum semine vestro
post vos, et ad omnem animam vi-
uentem, que est vobiscum, tam in vo-
lucribus, quam in iumentis, et pecu-
dibus terre, cunctis qui egressi sunt
de archa et omnibus bestiis
terre. Et statuam pactum meum vo-
biscum, et nequaquam ultra omnis caro
aquis diluvii, nec erit deinceps